

GEORGICON II

exspectant et uiua sua plantaria terra;
 nil radicis egent aliae summumque putator
 haud dubitat terrae referens mandare cacumen.
 quin et caudicibus sectis (mirabile dictu) 30
 truditur e sicco radix oleagina ligno;
 et saepe alterius ramos impune uidemus
 uertere in alterius, mutatamque insita mala
 ferre pirum et prunis lapidosa rubescere corna.

Quare agite o proprios generatim discite cultus, 35
 agricolae, fructusque feros mollite colendo,
 neu segnes iaceant terrae. iuuat Ismara Baccho
 conserere atque olea magnum uestire Taburnum.
 tuque ades inceptumque una decurre laborem,
 o decus, o famae merito pars maxima nostrae, 40
 Maecenas, pelagoque uolans da uela patenti.
 non ego cuncta meis amplecti uersibus opto,
 non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
 ferrea uox. ades et primi lege litoris oram;
 in manibus terrae. non hic te carmine ficto 45
 atque per ambages et longa exorsa tenebo.

Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,
 infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
 quippe solo natura subest. tamen haec quoque, si quis
 inserat aut scrobibus mandet mutata subactis, 50
 exuerint siluestrem animum, cultuque frequenti
 in quascumque uoles artis haud tarda sequentur.
 nec non et, sterilis quae stirpibus exit ab imis,
 hoc faciat, uacuos si sit digesta per agros;
 nunc altae frondes et rami matris opacant 55
 crescentique adimunt fetus uruntque ferentem.
 iam quae seminibus iactis se sustulit arbos,
 tarda uenit seris factura nepotibus umbram,